

*Mylabridis* seu *Bruchidis* alterum supplementum  
a *Flaminio Baudi.*

---

*Mylabris venusta* Fahrs. singularis inter primae sectionis species, hucusque parum cognita minusque in collectionibus diffusa copiose, ut videtur, nuper in Galliae interioris Mont-Dore inventa, pluribus speciminibus a D. Croissandieu amice missa accuratius delineanda.

Praeter pauca quae de hac specie in Deutsche Ent. Zeitschr., Jahrg. 1886, pag. 401 fuere relata haec admonenda.

Statura et habitu *brachiali* valde affinis, differt attamen thorace in utroque sexu paulo minus dense, rugosius fere punctato, spinula laterali paulo magis porrecta; elytris floccis albidis laete consparsis, pube nulla griseo-flavescente commixta; corpore infra pube tenui parum densa albida induito, ad pectoris abdominalisque segmenti primi latera tantisper condensata.

Mas pedibus anticis ut in *brachiali* constructis, rufo-testaceis, reliquis nigris, mediorum femoribus validis, subtus a basi et ab apice medium versus sensim incrassatis, quasi medio angulato-dentiformibus, tibiis apicem versus arcuatis, apice interiore mucrone valido, truncato armatis; posticorum femoribus leviter arcuatis, subtus ante basin dente validiusculo munitis, apicem versus muticis; antennis fere ut in *brachiali*, testaceis, articulis tribus ultimis, quatuor interdum, plus minusve infuscatis; abdominalis segmentis ventralibus 2—4 medio tantisper angustioribus, ultimo apice medio callo prominulo instructo.

Foemina pedibus nigris, anticum tibiis tarsisque testaceis, mediis simplicibus, posticorum femoribus vix arcuatis, edentatis; abdominalis segmentis ventralibus simplicibus; antennis nigris, articulis quatuor primis rufo-testaceis.

*M. arachidis* Fahrs.: huic speciei e Brasilia in Schönherr, Gen. et sp. Cureul., tomo V, p. 10, descriptae tria specimina referenda censeo a D. F. Ludy donata patria Graecia a D. Tieffenbach. Quamvis statura *Br. scutellari*, sec. Schönh. nunc *M. chinensi* L. majora, corporis forma et pictura cum *arachidis* sat apte convenire videntur, pedum praesertim habita ratione quorum femora postica dente admodum valido extus, spina sat elongata acutaque

252 *Fl. Baudi: Mylabridis seu Bruchidis alterum supplementum.*

intus ante apicem armata, latius adhuc quam in *chinensi* canaliculata inter proximas species distinguenda. Caput et thorax fere ut in *chinensi*, elytra subquadrata, dorso planiuscula, rufa, basi tota subarcuatim, macula in singulo laterali marginem secus cum nigredine basali et macula apicali nigris connexa, sutura haud infuscata, pube tenui flavescente perparce obsita. Thoracis lobus basalis macula bifida albo-tomentosa, nullo modo elevata notatus. Antennae in utroque sexu rufo-ferrugineae, serratae; in mare haud pectinatae, dimidii corporis longitudinem superantes, articulis quinto-decimo sat elongatis; in foemina breviores, articulis quinto-decimo latitudine apicali parum longiores. Abdomen in mare nigrum segmentis ventralibus secundo-quarto medium versus fortiter constrictis, quinto medio late emarginato, pygidio rufescente apice infuscato atque incurvo, pube densa albida obtecto: in foemina abdomen cum pygidio rufescens, hoc macula oblonga ad marginem utrinque nigra signato, parce pubescente, medio longitudinaliter depresso, lineola media e pube densiore in illoesis ornato; segmenta ventrali simplicia. Pedes rufo-testacei, maris femora postica dimidio basali nigra.

A *M. ornata*, praeter staturam majorem, differt antennis fortius serratis, femorum posticorum dentibus, interiore praesertim acute spiniformi, validioribus nec non elytris alia ratione maculatis, quae in *ornata* basi haud nigrescent. *M. 4-maculata* longe minor, oblongior et angustior.

---

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Deutsche Entomologische Zeitschrift \(Berliner Entomologische Zeitschrift und Deutsche Entomologische Zeitschrift in Vereinigung\)](#)

Jahr/Year: 1891

Band/Volume: [1891](#)

Autor(en)/Author(s): Selve Flaminio Baudi a

Artikel/Article: [Mylabridis seu Bruchidis alterum supplementum  
251-252](#)